

2531

CODICES

2532

## DCLXVI.

440 Codex chartaceus germ. Sec. ut videtur, XVI. Foliorum 51. 4. titulo *Speculi Conscientiae* completur Expositionem Decalogi, Orationis Dom. VII. Peccatorum Capitalium, VII. Sacramentorum, Cultus dierum festorum &c. et definit in piis Precationes maxime in susceptione Eucharistiae dicendas, hoc rubro: *Hie hebt an ein puechlin Der gewissen spiegel genant &c.* — *Das puchlin hat getutscht ber mertin prediger von amberg durch grosser pegir ber hansen von scharpfen Ekk und des künig von Vngern hochster Rat. Von der vor red leret Martinus und sprichbt.* De hoc Martino Ecclesiaste *Ambergensi* Libelli interprete nihil Bibliographi, neque de ipso Libello quidquam inuenio, nisi, quod *Maittairius* memorat editum dialecto Germaniae infer. *Lubecae* a. 1487. *Spegel der Conscientien*. Prologus incipit: *Das wais man wol das ain ygglicher orden gutt ist. Aber der orden christenlichs glauben ist aller pest &c.* Ad calcem iterum minio adjectum: *Ditz püchlein des ber mertens Das der gewissen spiegel genant ist hat ein end das geschriben ist worden Anno Domini Millesimo Trecentesimo nonagesimo.* Annum hunc non posse intelligi de praesentis Exempli Scriptione character evincit, qui manifeste ad initium Sec. XVI. pertinet; intelligendus igitur annus, quo *Martinus* ille versionem suscepit, quoque *Johannes Scharfeneckius* ἐγγοδιώκων

*Sigismundo Mariae Hung.* Sponso a consiliis fuit. Precationes ad junctae *Petro Damiani, Augustino, Bernardo, Ambrosio, Hieronymo, Anselmo* tribuuntur, cujus *Interroganda in Hora Mortis*, edit. Paris. 1721. p. 194. f. hic germanice prostant. Orationem ad *S. Spiritum* vertisse dicitur *der erber priester Her milicius*, quem non alium puto a *Job. Militio* celebri Ecclesiaste *Pragensi* a. 1374. defuncto, de quo *Balbini Bob. docta* edit. Ungar. P. II. p. 181. Aliarum duarum ad *Angelum tutelarem* et *Apostolum* Autor inscribitur *der erber pischoff Johannes von Olomuncz.* Atque hic inter plures Ὁμωμυξς aegre decidas. Illud addo: *Speculum Conscientiae Job. Lampsbemii* seu *Lansbemii* non Eremitae sed Canonici Augustiniani in *Kirsgarten* per *Conrad. Hist Spirae* MCCCCXLVI. (lege C. pro L.) 4. impressum non posse esse *Speculi* nostri *Martiniani* πωτοτοπον, cum *Lausbemius* ille non nisi Sec. XV. exeunte vixerit; bene vero Libellum inscriptum *Gnotosolitos Arnoldi de Rotterdam* seu *de Geilhoven*, ut conferenti *Codicem DLXXXIX.* patebit.

## DCLXVII.

Codex membraneus lat. Sec. 725 IX. Foliorum nunc 93. 4. initio et fine mutilus, luculente scriptus et rubricis distinctus *Poenitentiale* exhibet, quod literis perquam evanidis incipit: — — *est remissio peccatorum qua baptizamur in aqua secundum illud. nisi quis renatus*

tus fuerit ex aqua et spiritu sancto non potest uidere regnum dei. Secunda caritatis effectus ut est illud. remittentur ei peccata multa quia dilexit multum. Tertia elemosinarum fructus &c. Ex quo patet, contineri hic Prologum illum de XII. Remissionibus Peccatorum, quo Poenitentiale Cod. DCLXIX. indicatum interpolari diximus, quamquam phrasis passim variet, et post verba: *Uetus namque pro- uerbum est. contraria contrariis sanantur*; utrinque in diversum abeat. Codicis enim praesentis hae sunt Rubricae: *De uitiiis gulae et ebrietate uel uomitu. De discretione Ciborum Mundis et Inmundis. De fornicatione et Reliqua in Ingenia (sic) Luxoriandi uel Inmundum pollutiones. De Sodomitis. De diuerso Lapsu Seruorum dei. De Bapuzatis bis qualiter peniteant. De opere die dominico et qui die domini ieiunant. De communionem eucharistiae uel Sacrificio. De questionibus Sacrificii uel Neglegentiis. Item de diuersis Neglegentiis de sacrificiis. uel missis Seu diuersis Malis de Reconciliatione. Nunc de priorum statuta nostrorum patrum proponamus. De auaritia. De iracundia et diuersis uitiiis. De cogitationibus. Ad calcem hujus Rubricae legitur: *Finit deo Gratias.* Sequitur uero Peroratio in hunc modum: *Haec amantiſſimi fratres secundum sententiam scripturarum uel opinionem quorundam doctissimo- rum pauca de penitentiae remediis uestro amore compulſus supra possibilitatem meam potestatemque temptaui scribere &c. Et tandem: ſi-**

*nit istud opusculum quod coaptauit uinniaus ſuis uisceralibus filiis dilectionis gratia. uel religionis obtentu de scripturarum uenis redundans ut ab omnibus omnia deleantur hominibus facinora.* Quis sit Vinniaus Poenitentialis istius Compiler, nondum deprehendi, modo ne Librarius nomen istud, ut alia, depravaverit. In Gallia eum egisse ex eo uerisimile fit, quod inter dies, qui non computantur in penitentia, diem sancti martini cenſeat. Sequuntur porro in Codice a fol. 40. ut ejusmodi Collectionum fortuna fuit, eadem manu adiecti hi Tituli: *Inquiſtio Sancti hieronimi de penitentia. De Miſſa defunctorum. De ecclesiae ministerio uel Reedificatione eius. De adulterio et Rapto &c. De inceſtis coniunctionibus. De his qui ſicut muta uixerunt animalia. De furto et incendio et ſepulchrorum uiolatores et qui patrem expulit et de preda hoſtium et captiuitate et fortia uel pecunia eccleſiaſtica furata ſue rapta. De periurio et falſo teſtimonio et mendacio. De homicidio et Sanguine effuſione ſine morte et paruulos (ſic) obpreſſus. bis qui ſine bapuzismo moriuntur et abortus et qui membra ſua abſcidunt (et qui praebent) ducatum barbaris. De maleficis ueneficis ſacrilegis ariolos ſortil. diuin. et uota reddentes niſi ad eccleſiam et quod in kl. Ianuam (Ianuarii) Ceruulus et uecula (ueta) dicunt et matimaticos. et emiſſores tempeſtatum. De uſura et cupiditate auaritia et qui hoſpites non recipit et qui Mandata euangelica non implet. De ira triſtitia odio*

2535

CODICES

2536

odio maledicto detractio et invidia. De acidia Somnolentia et Instabilitate. De superbia Blasphemia iactantia uana gloria heresim contentione Inobedientia excusatione delaturas et correptione et malas cogitationes. Diſta Sancti hieronimi (spuria). De penitentia Nubentium specialiter. De uexatis a diabulo. De questionibus Coniugiorum. De seruis et ancellis. De diuersis questionibus. Quaedam demum ex Interrogationibus Augustini Angl. Ep. et Responſionibus Gregorii M. quae abrumpuntur in his Resp. X. verbis: quod enim eis concedit sancta predicatio et tamen. — Plurima ex adlatis in Poenitentiali Theodori Cant. sparsim occurrunt, cujus aetate Collectio nostra fortasse non multo inferior est.

## DCLXVIII.

651. Codex membraneus lat. Sec. X. Folior nunc 43. 4. luculente, sed mendose scriptus hanc praefert ἐπιγχαφῆν caractere quadro miniato: *Incipit Iudicium Patrum Ad Paenitentes*. Ingressus est ejusmodi: *Secundum emendationem penitenti. et a malo cauendi (caventi). et ad ecclesias festinanti. Et sacras scripturas audienti. et elemosinas. et missas facienti. a sacerdote considerandum est. adbreuiandi ieiunium et non de semel danda est penitentia de maximis culpis. Sed per partes. et ana (una? ante?) modice indicenda. et absolueri nullus presumat penitentem (sic) suum. dum eum in uia recta ire non uiderit. Tum sequuntur Canones*

circiter CXCIV. hoc initio: I. Si quis clericus homicidium fecerit X. annos exul peniteat. III. ex bis in pane et aqua. II. Si quis homicidium nolendo fecerit. V. annos peniteat. II. ex bis in pane et aqua. Ita nullo deinceps materiarum ordine plerique a Si quis incipiunt, lectique sunt e variis antiquis Poenitentialibus, puta Halitgarii Camerac. Bedae, Theodori Cantuar. aliisque, quorum Excerpta Jac. Petitus editioni Theodori adjunxit Paris. 1679. 4. Reperiuntur item sparsim apud Reginonem et Burchardum.

II. fol. 23. Nova sequitur Collectio, inscripta: *Item De Romano Penitenciale*. Non Halitgariano, quod a quibusdam etiam Romanum adpellatur, neque illo, quod hoc nomine edidit Ant. Augustinus inter *Canones Poenitenciales, Tarraconae 1581. 4.* et deinceps alibi, sed certe e vetustiore illo, quod in ipso *Augustiniano* citatur. Sunt numero tantum quinque *Canones*, quorum I. *Demonium sustinens licet petras uel olera habere sine incantatione*, nullibi reperi. Reliqui IV. partim in *Cod. antiquo Siculo*, partim in *primo Poenitentiali Andegavensi* apud Job. Morinum de *Poenitentia Append. p. 24. et 34. et 35.* edit. Paris. 1651. f. extant, aguntque de Cultu Daemonum et Mulierum Superſtitionibus.

III. *ibid. p. 2. Item De Canones Anquiritanos Titulo XXIV. Pro Ancyranis. De Auguriis*, ut T. I. *Concil. edit. Venet. col. 1494.* sed versio nostra non est

Dionysii